

*(De pace et concordia [a], occasione cuiusdam homicidii, inter
Livienses et Faventinos reformata.)*

CAP. CLXXXVI.

Cum dissensiones multae inter Livienses, quae quandoque in civitatibus exoriri noscuntur [b] subiectione illius qui inter fratres discordias seminare non cessat, pululassent, occasione cuiusdam homicidii facti domini Giselm^merii, et bellum, et gladius per civitatem Liviensem ficeret, atque deserviret [e] undique, sub anno a Virginis partu MCCXXVII, dominum Bonifacium de Pusterla eorum potestatem illuc (Faventini) [d] cum sapientibus viris miserunt celeriter et populum sub quodam Ioanne Carpenterio nomine, viro provido satis et discreto de Scavania [e], iurare fecerunt, statuentes, quod si qua pars contra eum agere praesumpserit, Faventinorum communitas alteram partem, nuncio Faventinorum super eorum animas in plena Liviensium concione iurante, defenderent. Hoc illud item [f] Faventini, Liviensium nuncio [g] praesente, in plena Faventinorum concione, firmiter attendere iuraverunt. Nam, infra tempus breve, cum illis amicitiam renovaverint [h]; et sic inter eos pax et concordia, Deo concedente et bonorum amicorum adiutorio, est reformata.

Inundatio aquarum.

CAP. CLXXXVII.

Anno Domini MCCXXVIII fuit vehemens inundatio aquarum, mense Januario, in partibus Italiae et maxime in comitatu Faventino. Nam aquae fluminis Alamonis et Simioli adeo intumuerunt, quod extra civitatem creverunt per totum campum Episcopi. Arcus vero pontis portae Pontis [i] fere cludebatur ab illis [j]; infra civitatem vallaverant usque domum Mainardini.

Quando Faventini iverunt in
servitium Bononiensium apud Batianum.

CAP. CLXXXVIII.

Cum hostis antiquus, humanae propaginis insidiator, graviter ferens quae circa salutem Bononiensium gerebantur, novas artes virulento pectore versans, cruentis

[a] *De pace et concordia* etc. Titulus deerat in Codd. — [b] *exoriri noscuntur*. Lego noscantur cum cl. Mitt.; Codd. habent; *nascuntur*. Insuper adesse in C. M. videtur lacuna hic, quae an arte vel casu fuerit reicta, non facile definirem. — [c] *ferveret atque deserviret*, C. M.; *fortiter deserviret*, C. V. — [d] *illuc Faventini*. Addidi: Faventini; nam sane subintelligi debent. — [e] *de Scavania*. Sic Codd. — [f] *Hoc illud idem*, C. V.; *hoc illud item*, Cl. Mitt. — [g] *nuncio*. Sic Codd. — [h] *amicitiam renovaverint*. Sic Codd.; at cl. Mitt., *amicitiam renovaverunt*. — [i] *Arcus vero pontis portae Pontis*. Sic lego. In Codd., *arcus vero pontis porta Pontis*. — [j] *cludebatur ab illis*. Sic lego. Codd., *cludebatur ab illa*.